



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

603. An, sicut in ipsa impositione pensionis requiritur consensus Titularis, ita etiam is requiratur in impositione regressus concessi ob non solutam pensionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

veratur, tali casu resignatarius non tenetur illi solvere arregragia, seu reliqua pensionum decursarum; quia, cum privatio beneficii veniat in consequentiam non solutionis, si privatus ea de causa cogere solvere pensiones decursas, daretur contradictio, quia solveret, & ob non factam solutionem privaretur, citat pro hoc Gratian. *discep. for. discep. 617. n. 34.* citantur etiam pro hac sententiâ à Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 11. n. 79.* Guerrero in *specul. juris pontif. c. 6. de pens. n. 6.* Gig. *de pens. q. 76. per tot.*

2. Contrarium tamen, nimirum, qui vigore regressus ob non solutas pensiones obtinuit mitti in possessionem beneficii, non amittere pensiones illas decursas, sed eas illi adhuc deberi, tenet, & operose defendit Barbof. *loc. cit. à n. 80.* argumento L. Colonus. *ff. locati.* ubi dicitur, quod Dominus expellere potest colonum contumacem in solvendo, & petere pensiones: & argumento *auth. qui rem. c. de sacrosanct. Eccles.* ubi dicitur, quod Ecclesia potest expellere Emphyteutam per biennium non solventem, & petere pensiones, quando excepit ab expulsionem. Et n. 8, ait Barb. se absque dubio hanc sententiam veriore existimare in casu, quo pensionarius (error est, dicere enim voluit, titularis) se obligavit sub juramento ad solutionem pensionis, eò quod tunc juramentum habeat vim clausulæ: *rato manente pacto*: juxta l. si quis major, *c. de transact.* & Seraphin. *de privileg. juram. privileg. 85.* Tusch. *lit. C. conclus. 300. n. 4.* quos citat; dicta autem clausula: *rato manente pacto*, operetur, quod debitum principale simul, & poena exigi possint. Et utrumque declarat juxta l. qui fidem. *ff. de transact. l. cum proponens. c. de transact.* Salust. Tiber. *in forma instrument. l. 1. c. 14. n. 10.* Guttier. & alios, quos citat n. 92. Et hinc dicta clausula apposita in Emphyteusi operetur, ut Emphyteuta possit expelli ob non solutum canonem, etiam si Dominus illum receperit de praterito; quia utrumque consequi poterit, nempe canonem prateritum, & expulsionem, quæ sunt compatibilia juxta Tusch. *ubi antè. nu. 11.* Mart. *de clausulis. p. 1. claus. 131. n. 7.* Neque, ut ait Barbof. n. 84. in hoc casu regressus succedat loco pensionum debitarum, sed illis accedat, ac proinde utrumque peti possit; pensiones nempe prateritæ seu decursæ, & beneficium; maxime, quia pensiones petuntur ex debito antiquo propter fructus beneficii perceptos, & regressus ob incursum contumaciam in non solvendo debitis temporibus, vel potius ex pacto expressè inito in literis Apostolicis reservationis pensionis, Et tunc, quando poena apponitur loco contemptus, & postea res, & poena petuntur ex diversis causis, veluti si poena petatur ex contumacia, vel ex pacto, & debitum ex actione antiqua, certum sit, utrumque peti posse. Solvit quoque Barbof. à n. 93. rationes Gigantis pro contraria sententiâ allatas.

Quaestio 601. An, impositâ pensione super pluribus beneficiis, ob non solutam integre pensionem, vel potius pensionis partem impositam beneficio A. solutâ parte pensionis impositâ beneficio B. sit locus regressui ad ambo beneficia?

Respondeo: Videri dicendum, quod sic, prateritum dum beneficia illa possideantur ab uno; quia pensio illa est de una re, etsi sit imposita su-

per duobus beneficiis ad facilitiorem solutionem & majorem illius validitatem. Azor p. 2. l. 8. c. 14. q. 11. *Parif. l. 6. q. 3. n. 35.* sic resolutum testans à Rota in *calagurir. Canonizat. & prab. 4. Decemb. 1551.* ubi reservata talis pensio cum tali clausula: quod, deficiente Rectore, aut renuente solutionem dictæ pensionis in totum, vel in partem, liceret Titio liberum habere regressum respectivè, & eorundem realem & corporalem possessionem ingredi.

Quaestio 602. An detur quoque hujusmodi regressus ob non solutam pensionem reservatam ultra causam resignationis, sive an in eventum non solutionis concedatur regressus aliquibus, qui beneficium per resignationem non resignarunt, vel liti super eo non cesserunt?

Respondeo: In Curia receptum, ut, cum beneficium vacans per obitum conferatur alicui, reservetur quandoque alteri, qui ejus possessor aut titularis nunquam fuit, nec jus ullum ad illud, aut in eo habuit, pensio etiam cum facultate ad illud beneficium regrediendi, vel potius accedendi (ad regressum enim, seu ad regrediendum requiritur, ut is, cui conceditur, habuerit antè eisdem beneficii possessionem; quemadmodum accessus tunc dicitur reservari, cum alicui sit potestas intrandi, seu adipiscendi beneficium, vel illius possessionem, quod, & quam antea nunquam habuit, & ingressus reservari resignanti, dum quis cedit beneficium, cujus titulum & jus canonicè obtinuit, sed nondum adeptus possessionem, Tambur. *de jure Abb. to. 1. d. 13. quaestio 6. n. 1.* *Parif. l. 6. q. 5. n. 111. & 114.*) capiendique per se, vel per alium propriâ auctoritate possessionem illius in casu non solutæ pensionis. Azor p. 2. l. 8. c. 9. q. 4. *Parif. l. 6. q. 3. n. 6.* citantes Mandos, *de signat. grat. tit. regressus.* Redoan. *de simon. p. 2. c. 19. n. 1.* Unde *Parif. loc. cit.* ait: concludendum omnibus pensionariis ad sui favorem dari hujusmodi regressum.

Quaestio 603. An, sicut in ipsa impositione pensionis requiritur consensus titularis, ita etiam is requiratur in impositione regressus concessi ob non solutam pensionem?

Respondet negativè *Parif. l. 6. q. 3. n. 13.* sic resolutum testans in *una Conch. 20. Martii 1542.* & citans pro hoc Put. *decis. 223. l. 2.* & Redoan. *de simon. p. 2. c. 18. n. 4.* Rationem dat duplicem. Primam, quia hujusmodi regressus accessoriè datur in poenam ad favorem pensionarii. Alteram, quia regressus hic concessus ob non solutam pensionem datur eo tempore, quo quis beneficium privatur; cum capiat vires post privationem legalem, quo tempore jam non interest titularis, quis capiat beneficium, & ideo ejus consensus non requiritur, sed sola auctoritas Superioris sufficit. Unde jam etiam infert *Parif. n. 14.* quod, dum Procurator generaliter constitutus ad acceptanda beneficia cum reservatione pensionis validè ea acceptat, etiam si reservatus regressus in eadem non solutæ pensionis; quia fines sui mandati non egreditur, dum facit id, quod de natura actus est.

* *

Quaestio